DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ; DEIPARÆ ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, IX. DECEMBRIS,

M. FRANCISCO BOVIONIER, Doctore Medico, Moderatore.

Eſtne certa & optima Luis Venereæ per ſolam Hydrargyroſim curatio?

SYPHILIS, effrenatæ libidinis ſtipendium, impuræque Veneris germen, horrendus eſt, & ipſa peſte formidabilior affectus: qui & poſterioris & vetuſtioris continentioriſque æui homines hactenus ita varijs exercuit modis, vt non tam dicas vnum morbi genus, quàm morborum agmen: is ſcilicet humanæ infirmitati debuit adijci cumulus, ne quid eſſet pernicioſi, quod non ferret hæc malorum epitome: & cùm priùs miſer homuncio omnibus ſimul morborum generibus conflictari vix poſſet, in eum incurreret, qui omnium vires æquaret. Hinc tot illi impoſita inuidioſè nomina, ferè ab ipſo natalium loco petita, quem in alienum ſolum nulla non transfert natio, ne id monſtri tuliſſe videatur. Sunt quidem reliqui morbi, peccati ſoboles, ſed alieni: hic vulgò in ipſos flagitij authores ſæuit; vt alios ferat naſcendi conditio, hunc petulantia: illi ægro moderationem, Medico miſerationem inijciant; hic, vtrique pudorem; maiorem etiam, vbi, quod rarius, inſontes affligit; ſic enim iniquè comparatum eſt, vt ſceleratorum pœnam atque opinionem interdum ſuſtineat innocens. Habet & hanc dira lues malitiam, vt diu antè ſentiri, quàm agnoſci malit; ne (more prædabundorum militum) ſuo inuiſa hoſpiti, priùs eijci queat, quàm populata ſit omnia.

ETSI verò ab initio leuiores mentita morbos, furtim atque ſilentio ſubeat, tunc tamen certam facit ſui aduentus fidem, cùm non modò maculis & impetigine, cutem inficit; ſed etiam puſtulis ſiccis, ſæpe rubris, & rotundis, quæ frontem, labia, mammas, anum, pudenda occupant: caput, ſupercilia, mentum, ſuis nudantur pilis, floridus faciei color extinguitur, toto corpore ſordida paſſim erumpunt vlcera, liueſcentes oculi inuiti collacrymantur, aures tiniunt, nares malè habet coryza, & ozæna, fœtet os, dolent dentes, exeduntur gingiuæ, tument tonſillæ, vox raucescit, caput, ſternum & medij artus tanto diuexantur dolore, vt quaſi terebello perforari, tendines & vincula diſtendi, rigere nerui, perioſtia diuelli ſentiantur: atque hæc maximè noctu, fortè vt ſacrorum Veneris malè tunc temporis peractorum memoria refricetur: nam ſub auroram, ſpes vitæ cum Sole redit. His vbi tanquam ἐπίμετρον accedunt tophi, cruciatibus, ſed magis oſſium carie formidabiles, habes manifeſtiſſima obfirmatæ luis indicia: maximè ſi ſtatim ab impuro concubitu exijt, vel ab interiori pene turpis illuuies, vel in exteriori cancroſum vlcuſculum, vel in inguine bubo; nam ferme his amat aduocari pararijs: & ſi quando per alias irrepat partes, orta mox in ijs vlcera denuntiant admiſſam contagij labem; nimirum in accubante, artuum cutis; in obſtetrice, manus; os in lactente; in lactante, mamma.

FELICES quotquot fæda momordit Venus, ſi aut ſemel mori liceret, ne tot inter tormenta quotidie morerentur; aut planè conſtaret de morbi indole, certiſque præſidijs, per quæ ipſis emergere, & ſanis liceret viuere. Vt enim nulli ætati, temperamento, ſexui ac regioni parcat, non omnes tamen ex æquo torquet: in quibuſdam plagis morbus eſt Endemius, & curatu facillimus, Naturæ prouidentiâ, quæ ibi poſuit remedium, vbi vernaculum fecit affectum. In cæteris alio Sole calentibus, nec Endemius eſt, nec Epidemius; ſed omni modo prȩterquam halitu contagioſus, maximè cùm recens eſt; nec niſi in humoribus, nondum in partibus ſedem fixit: tantæ etiam eſt contumaciæ, vt hydræ inſtar, renaſcatur, quando reſciſſus creditur, ac vel eo recèns defuncti alios nonnumquam inficiant: hebes nempe & lenta veneni vis, licèt craſſioris ferè humoris vehiculo ſeſe in partes principes inſerat, nec niſi temporis tractu proferat ſui furoris incommoda: ijs tamen vbi ſemel adhæſit, contaminatique ſanguinis & ſpirituum interuentu per vniuerſum corpus virus ſuum effudit, tam altas radices agit, vt vix poſtea vlla arte reuelli queat. Sed & plerumque ſolet efferari temerario remediorum vſu, quæſitiſque per longas irritæ curationis moras, viribus; ſecus ac cæteræ res, hoc euadit ferocior, quo plus habet ætatis.

VENEREÆ luis curationem multa poſſunt inchoare, perficere ac complere ſola valet Hydrargyrus: ab hac vna vinci ſe patitur ſuperbiſſima ſcabies, quaſcumque alias admoueat machinas, audax & imperitum id hominum genus, cui hæc patrimonij loco cura relicta eſt: luditur, luditque miſellos ægros, depulſo in ſpeciem morbo beatos, ſed mox à ſimulata fuga grauiùs cruciandos: Guajacum, Sinarum radix, ſarſaparilla, & reliqua alio ex Orbe ad nos deportata prȩſidia, non magis ſunt eius alexipharmacum, quàm perſonata, cortex iuniperi, tormentilla, carduus benedictus, ſcordium, dictamnus, buxus, aut aqua èx Theriaca diſtillata, & ſimilia; hoc tantùm nomine fructuoſa, quod pleriſque ſtolidè credulis, non morbum, quo digni erant, ſed morbi opinionem adimunt: ferè autem communi hidroticorum lege, ſanguinem incendunt, liquatúmque effundunt è venis, in ῥευματιζόμενα μόρια, acerbiſſimis doloribus luem apud ignaros mentiri ſolita: ſæpe & inducta viſceribus tabe, fatum languentis præueniunt. Eò ſpectat & tenuis ſiccuſque victus, cum humido, ſi quid prodeſſe vis, commutandus. Suffimenta adeo nihil expiare queunt, vt cerebrum pulmonémque conflictando, multos ſubitò ſeu apoplexiâ, ſeu aliter exanimatos oppreſſerint. Cathartica identidem repetita jure ſibi magnam vendicant laudem, non tamen præcipuam: puſtulas quidem reprimunt: vulgares, non Indicas; bellè corporis vniuerſi ſaburram, at non ipſum pariter mali fomitem eluunt; niſi fortè cùm recèns afflatus humoribus, nondum partes ſolidas attigit: cùm verò altiùs infixa veneni pernicies ipſis inſedit viſceribus, atque in imas oſſium medullas deſcendit, breui ſubinde videas ſemiuiua cadauera, carie conſumpta, & ſanie tabóque fluentia mortem oppetere: niſi ocyus ad Hydrargyroſim, velut ad ſacram anchoram confugiatur.

CAVE itaque credas quemquam niſi dextro Mercurio vnctum perſanari poſſe, citra omnem recidiuæ metum: vt enim ſerpentem ceruus, viuerra lepuſculum è terræ cauernulis euocat, ſic hydrargyrus vel extremis illita artubus, abditum in intimis partium receſſibus, luis ac ſpurcitiei fermentum elicit, & expurgat vniuerſum: nempe eximia humiditate, & penetrandi facultate quâ pollet, lapidéſque ac duriſſima quæque metalla peruadit; id primò diluit ſoluitque in materiam veluti aqueam, mobilem, ac fluori aptam: quam mox totam, vt ſingulari, ita & mirabili dote, quaſi manu deducit ad fauces, in modum ſaliuæ deſpuendam: vel ſi nihil iſtarum ſordium in os transfert, per inteſtina, cùm eò inclinare videntur, excernit: nullo interim excellenti frigore moleſta, nullo relicto, at potiùs omni caloris extincto veſtigio: quippe licèt vi purgandi præſtet, quæ ne vſtione quidem perit, ſed acuitur, bilis tamen prouentum inhibet, calidiorum humorum impetum atque malignitatem obtundit, ſicca viſcera humectat, qua ratione herpetes, impetiginem, pſoram, lichenas, lepram etiam inueteratam, & quamlibet cutis fæditatem delet: imprimis verò tantas cum fæda lue gerit inimicitias, vt ſine vllo ſudore, qui malè plerumque præmittitur, non modò quas habet comites puſtulas & vlcera, illita abigat, verumetiam ſcirrhos, tubercula, & quos vix ferrum & ignis domare valent, tophos abſumat. Educi certè poſſunt in aciem aduerſus tam immanem affectum quæcumque illi obſiſtere putarit prudens Medicus: ſed ea conditione, vt quemadmodum præcipua victoriæ ſpes in triariorum virtute poſita eſt; ita cùm ad ſumma ventum, & cominus certandum erit, vni Hydrargyro Syphilis radicitus exſtirpanda committatur.

Eſt ergo certa & optima Luis Venereæ per ſolam Hydrargyroſim curatio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes de Sainct-yon.
M. Petrus Regnier.
M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.
M. Iacobus Du Val.
M. Simon Boulot.
M. Iacobus Renaut.
M. Nicolaus Langlois.
M. Gilbertus Puylon.

Proponebat Lutetiæ ROBERTVS PATIN, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. XLIX.